

creatam constituat primam, et solam causam libertatis, quæ est in actibus nostris, ut in istis formalibus verbis ultimo relatis dicit Vasquez. Sed quam absurda sit ista sententia quantumque rejicienda nemo est qui non videat. Etenim liber actus in ratione liberi non subterfugit providentiam Dei, neque finalizationem ejus: ergo neque causalitatem potentia ejus. Consequentia est manifesta, quia de quocumque Deus disponit per suam providentiam, habet in illud plenum dominium: ergo potest illi dare esse, vel offerre: ergo habet causalitatem in illud: præsertim quia providentia Dei non gubernat, aut disponit de aliquo, nisi communicando illi, et præbendo id quod gubernat, et providet, aut permittendo ut fiat, si malum sit, et ab ejus fine deviet, alias esset aliquid a Deo provisum et bonum, nec tamen in ejus potestate contentum, nec causatum a se, et consequenter neque ideatum et ab eo per artem suam factibile. Ergo provideret Deus de illò sine idea, et participatione exemplari a se, quod esset non providere providentia perfecta, et infinita. Libertas autem in actibus non est aliquid malum, et a Deo tantum permissum cum inveniatur in actibus bonis, et meritoriis, debeatque illi habere Deum pro fine sub ipsa ratione liberi et moralis: ergo non potest non esse causata a Deo, si est provisa. Antecedens autem negari non potest, quia liberi actus, in quantum liberi non eveniunt fortuito, et a casu respectu Dei: ergo eveniunt ut provisum, et disprovisum ab ipso, alias solum provideret Deus res necessarias et eventus ipsa necessitate provenientes, cum tamen res contingentes, et liberæ propter suam mutabilitatem et variabilitatem majori providentia et arte indigeant. Et præsertim urgetur hoc, quia homines

habent providentiam et regimen de suis actibus liberis, et leges ponunt de his quæ libere agenda sunt, et Deus ipse legem dat nobis de liberis actibus, alias si liberi non essent, capaces legis non essent, nec oppositum esset prævaricatio. Qui autem dat legem de libero ut libero dirigit et gubernat tale liberum: ergo et providet, seu providentiam de illo habet. Et mirum esset quod providentia humana se extenderet ad liberum ut liberum, et non divina.

Nec obstat quod libertas ponatur a Vasquez in aliquo respectu rationis, vel denominatione extrinsecæ, non in aliquo intrinseco ipsi actui. Quod sequuntur quicumque existimant libertatem solum consistere in actu voluntatis, ut subordinato duplici cogitationi, quæ proponit aliquid, et ejus oppositum, ut a voluntate eligatur. Et putant, quod dependentia illa a cogitatione, extrinseca manet actui voluntatis in entitate sua, solumque ponit denominationem extrinsecam in eo. Alii volunt libertatem esse intrinsecam actui, sed sumi per ordinem ad reflexam quamdam cognitionem, qua intellectus de ipsa sua actione voluntatis cogitat, de eaque disponit, sicque procedit, non per instinctum, sed per arbitrium. Quasi vero et ipsa cognitio reflexa super actionem voluntatis, non sit extrinseca entitati ejus solum illam reddit cognitam, non illam specificat, nec eam physice elicit. Quod si amplius facit quam reddere cognitam, cur hoc non faciet cognitio directa dirigens actum? Nos autem ut in libris de anima, quæst. XII tractavimus, dicimus quod libertas actus dependet quidem a cognitione, et judicio indifferenti, sed ut regulante actum voluntatis disponendo illi objectum, a quo specificatur, et regulatur actus, et rursus supponit potestatem in vo-

luntate super ipsum actum; et sic ab ea elicitur actus ut liber. Omnis autem ordo actus ad objectum quod specificat, et ad principium quod elicit, intrinsecus, et realis est illi, non autem respicitur a libero actu cognitio, ut præcise reddens rem cognitam; et sic extrinsece tantum denominando. De hoc latius agetur 1-2, q. XVIII. Sed quidquid de hoc sit, tamen negari non potest quin fundamentum hujus libertatis, et respectus sit aliquid reale, et sub operationem Dei cadens: si enim operatio necessaria est aliquid reale, quanto magis libera, quæ de se perfectior est pure necessaria? Ergo saltem fundamentaliter, et pro eo quod in re datur de respectu libertatis cadere debet sub divinam operationem.

XXVII. Et hoc ipsum deducitur ex Scriptura, in qua libertas, seu actus ut liberi, divinæ operationi, et providentiæ subduntur, sicut ad Philipp. II: *Deus est qui operatur in nobis velle, et perficere*: Isai. XXVI: *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine*: Proverb. XXI: *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Dei*. Dicitur etiam Deus tangere corda, aperire cor, ut Act. XVI: *Cujus Dominus aperuit cor*: convertere et transferre cor, ut Esther XV: *Convertit Deus spiritum regis in mansuetudinem*, quod quidem non fecit cogendo voluntatem, sed liberam dimittendo, ut dixit Augustinus libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, c. XX. Et quando rogavit pro Petro ut non deficeret fides ejus, rogavit ut haberet liberam fidem, ut dicit Augustinus libro de correptione et gratia, cap. VIII, quia fides libere habetur. Et quando tetigit corda aliquorum, ut hoc vel illud facerent, utique ut id libere facerent effecit, ut pluribus Augustinus probat libro de gratia et libero arbitrio, cap. XXI, et libro de prædes-

inatione sanctorum, cap. XX. Unde tandem D. Thomas III contra gentiles, cap. LXXXIX, dicit fuisse quorundam opinionem, quod: « Providentia divina non est de his quæ subsunt libero arbitrio, scilicet de electionibus, sed quod refertur ad exteriores eventus: non enim qui eligit aliquid consequi vel perficere, puta ædificare vel ditari, semper poterit ad hoc pervenire; et sic eventus actionum nostrarum non subjacent libero arbitrio, sed providentia disponuntur. Quibus quidem auctoritatibus sacræ Scripturæ resistitur evidenter. » Et affert aliqua ex locis allatis, ibique late id prosequitur. Non ergo negari potest quin liberum ut liberum, a Dei operatione, et providentia dependeat, et derivetur. Nec elevatur hoc dicendo, quod Vasquez solum dicit liberum actum nostrum non esse liberum ex eo quod Deus solus illum decreverit, non tamen negat quod a Deo sit, et causetur, sed non a solo Deo, quod verissimum est, cum dependeat a nostra voluntate. Non inquam elevatur, quia nec nos volumus non solum actum liberum, sed nec vitalem, imo nec propriam actionem quantumvis necessariam causæ creatæ, ut ignis, vel solis esse a solo Deo. Quis hoc unquam dixit, aut quando id D. Thomas somniavit, contra quem ibi Vasquez fatetur se sentire? Quod si solum hoc vult Vasquez cessat quæstio: nec enim dubitamus liberum actum non esse a solo Deo proxime et elicitive, sed dubitamus an sit a Deo, ut a prima causa, et radice, sicut actus vitalis vel non vitalis elicitur a causa creata proxime etiam refertur ad Deum, ut ad causam proximam. Vasquez autem illis verbis relatis disputatione centesima, dicit, quod: « Prima et sola ratio libertatis actus nostri est voluntas creata; » ergo subtrahit libertatem actus a Deo, etiam ut

a causa prima, et non solum ut a proxima elicente, dum dicit quod prima et sola.

SENTENTIA SUAREZ, ET ARRUBAL REJECTÆ.

XXVIII. Fundamenta allata non solum probant prædefinitionem divinam absolutam, et efficacem libertati non repugnare, et ex hac parte non debere negari Deo, sed etiam per se semper requiri ad tales liberos actus dirigendos, et ordinandos, non supposita scientia media, sed supposito decreto libero Dei, et ex vi illius ante prævisum nostrum consensum liberum, et ante efficaciam suppositam mediorum, in quo sententiæ p. Suarez contradicimus: similiter probant actus istos in se immediate, et non in aliquo, in quo virtualiter contineantur, v. g. in vocatione congrua prædefiniri, aut in alio medio, sed in se provideri. Nec sufficienter explicantur per prædefinitionem concomitantem, quæ est de ipso influxu cum cooperatione causæ, atque adeo supponere debet causam inclinatum, et exigentem talem influxum cooperativum determinate. Et in hoc contradicimus p. Arrubali.

XXIX. Contra sententiam Suarez urgent omnia fundamenta supra allata, quæ pro omnibus effectibus creatis prædefinitiones requiri ostendunt. Et est sine dubio mens D. Thomæ, qui 1 p. q. xxv, art. v ad 1, generaliter docet, quod: « Non potest esse quod aliqua faciat Deus, quæ non præscierit et præordinaverit. » Et in quæstione III de verit. art. VII docet, quod: « Omnes effectus secundi sunt prædefiniti a Deo; » idemque docet in aliis locis supra allatis. Et sumitur hoc ex ipsa ratione procedendi, et operandi

Dei, et ex ipsa dependentia creaturæ, quæ tanta est, ut nihil ejus præsupponatur ad providentiam Dei, sed totum ab eo causetur: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Ratio enim qua Deus operatur, est ratio operandi per providentiam, et ex intentione, et directione eorum, quæ agenda sunt: omnia enim secundum rationem facit, et per artem, et per voluntatem suam, quia operatur ex fine, et non a casu. Rursum hæc operatio directiva, et ordinativa, tam universalis, et infinita est, quod omnia in omnibus causet, et nihil supponat, quod a se causatum non sit, et a se impediri, vel annihilari non possit, quia omnia in ipso constant, et ab eo participant id quod sunt, vel quod operantur: ergo ita providet omnibus ex fine, et intentione, qua operatur, quod non præsupponit aliquam efficaciam in mediis, sed præbet, et communicat illam: ergo omnia prædefinit. Patet consequentia, quia illud prædefinitur, quod non præsupponitur a providentia divina, sed causatur ex fine, et intentione, et non fortuito, seu a casu habetur: sed ad rationem divinæ providentiæ, quatenus summa, et divina est, pertinet quod omnia causet ex fine, et non a casu, sed ex intentione, et nihil sit quod non derivetur ex ipsa, ita quod nihil præsupponat quod a se derivatum non sit: ergo dicere quod sic prædefinire, et causare, non est necessarium providentiæ divinæ, est destruere providentiam divinam loquendo de rebus positivis, et factibilibus. Unde debet providentia divina antecedere omnia, etiam ipsum modum operandi causæ creatæ, et contingentiam seu libertatem aut necessitatem operandi, ut optime docet D. Thomas III contra gent. c. xciv, quia omnia ista etiam modus ipse operandi, et determinatio

causæ inferioris, et contingentia, aut libertas, omnia participant rationem entis, et consequenter a Deo non supponuntur sed causantur aliquo ex fine intento, quod est prædefiniri.

XXX. Omitto quod ad omnia quæ scientiam mediam prærequirunt, ut debite provideantur, repugnat poni prædefinitionem absolutam, et efficacem, et sic ista duo non componentur, quod in Deo ponatur non repugnare prædefinitionem efficacem absolutam respectu alicujus actus liberi, et quod illa debeat regulari per scientiam mediam: nam ut prædefinitio, seu providentia Dei sit efficax circa nostram liberam determinationem, et consensum, vel supponit efficaciam mediorum, et determinationem nostræ voluntatis, vel non supponit, sed causat. Si non supponit, sed causat, non regulatur scientia media, quæ prævidet consensum supponendo, non causando determinationem ejus, quia solum offert concursus indifferentem. Si supponit, non est absoluta illa efficacia, et antecedenter ad nostrum consensum, sed ex suppositione illius. Et si hoc requiritur in statu conditionato, ut ibi salvetur libertas, etiam in statu absoluto, ut de facto sit libertas, talis consensus, et cooperatio de facto dabit illam, non ab illa antecedenter causabitur, et sic destruitur efficax prædefinitio, aut si ponitur, tollet libertatem in ejus sententia.

Respondebis, non tollere libertatem, etiam in principiis Suarez, prædefinitionem, quia extrinseca est ad nostram voluntatem, non sicut forma intrinseca, ut visio beata, quæ necessitat, aut etiam, ut ipse putat, prædeterminatio physica. Vel secundo, quod licet intentio Dei sit absoluta, et efficax circa actum charitatis, v. g. eliciendum me a, tamen ex hoc solum Deus manet obligatus

ad eligendum aliquod medium ex finitis, quæ videt scientia media, quibus potest moveri voluntas ad illum actum; et sic illa prædefinitio non tollit libertatem, quia exercetur per media congrua prævisa, et regulata per scientiam mediam.

XXXI. Sed contra primam solutionem instatur, quia decretum illud extrinsecum, cum sit antecedens nostrum consensum, vel causat illud infallibiliter eadem infallibilitate, et determinatione qua intrinseca forma, et determinatio, vel non, sed offert indifferentem concursus, et expectat determinationem nostri consensus. Si hoc secundum, non prædefinit efficaciter ex se, sed indifferentiam solum habet ex se, a nobis autem determinationem expectat. Si primum: ergo non requirit scientiam mediam, cum ex sua efficacia, et vi sua, non autem ex præsuppositione nostri consensus, sit infallibilis; et sic non prævidetur concursus ut determinandus a nostro consensu, sed potius sua efficacia determinans illum.

XXXII. Contra secundam vero solutionem eadem instantia fit, quia illa intentio ex qua Deus obligatur ponere media congruentia prævisa per scientiam mediam, vel talibus mediis præbet efficaciam quam habent, illamque causat, et determinat, vel non, sed expectat illam a mediis, et supponit nostram cooperationem, et ex illa suppositione incipit efficacia illius. Si hoc secundum, non est prædefinitio efficax absolute, et ex se, sed ex se indifferens, seu ponens media indifferentia, et solum ex suppositione mei consensus extrinsece est efficax. Si primum, vacat scientia media, quia congruentia mediorum accipitur ut derivata et causata ab intentione et decreto Dei, non ut præsupposita, et prævisa ex mea cooperatione;

et sic non regulatur scientia media.

XXXIII. Contra scientiam autem p. Arrubal, constat hunc auctorem non explicare veram Dei providentiam, ut defendat duo principia suæ doctrinæ; alterum est quod libera Dei determinatio in ratione liberi actus constituitur per operationem ad extra: inde enim colligit solum dari posse prædefinitionem concomitantem, seu executivam respectu actus nostri liberi quatenus Deus suo comitanti influxu cum ipsa concurrat in actum, si quidem non datur in Deo liberum decretum de meo actu nisi per connotationem, et productionem mei actus. Et talis volitio vocatur prædefinitio, non ratione causalitatis in nostrum consensum, sed ratione antecedentiæ durationis, quia illa volitio est æterna, effectus vero temporalis. Alterum principium est, quod in Deo non distinguuntur diversi actus, etiam intentionis, et executionis, nisi ratione diversorum effectuum, qui connotantur in creatura. Unde colligit, quod absolute non est necessarium ad providentiam ponere circa aliquem actum liberum intentionem Deiefficacem absolutam, posse tamen poni, si Deus intendat actum aliquem, non immediate in se, sed in aliquo medio seu causa, ut in auxilio congruo in quo continetur actus faciendus. Sufficere tamen dicit priorem providentiam, seu prædefinitionem executivam, et concomitantem, quia omni alio ablato per hanc solam effectus ponitur.

Cæterum prædefinitio illa concomitans, cum fundetur in illo principio supra disputatione quarta late impugnato de constitutione actus liberi per productionem ad extra, eo principio sublato, etiam corrui hæc prædefinitio seu providentia constituta per productionem con-

comitantem ad extra: providentia enim est causa productionis ad extra, non per ipsam constituitur sicut volitio. Unde D. Thomas infra q. xxv, a. v, ad 1, non minus divinæ volitioni, quam ordinationi, seu providentiæ subjicit effectus Dei, dum dicit, quod: « Non potest esse, quod Deus aliqua faciat, quæ non præscierit, et præordinaverit se facturum, quia ipsum facere subjacet præscientiæ, et præordinationi, non autem ipsum posse, quod est naturale: ideo enim Deus aliquid facit quia vult, non tamen ideo potest quia vult, sed quia talis est in sui natura. » Manifeste ergo D. Thomas ponit ipsam productionem (quæ utique temporaliter de Deo dicitur) ut subjectam, non ut constituentem divinam providentiam, ut causatam ab ipsa, non ut concomitantem. Ergo ponere prædefinitionem concomitantem ipsam cooperationem, est mera fictio, et nugæ, cum providentia, et prædefinitio semper se habeat ut causa, et ut antecedens ipsam operationem, quia eam dirigit, et ordinat: operatio enim est executio, et providentia est directio et ordinatio de exequendo. Quomodo ergo sic iste auctor implicat in terminis, ut velit obtrudere prædefinitionem executivam, et concomitantem, cum hoc ipso quod sit executio supponat, non constituat directivam vim providentiæ, si quidem executio a directione procedit? Et insulsum valde est prædefinitionem velle nominare solum quia præcedit effectus suos duratione, id est, æternitate, quia videlicet Dei operatio, seu volitio est æterna, effectus vero temporalis. Nam vel providentia, et prædefinitio est causa directiva productionis, et operationis ad extra tangentis ipsum effectum, vel non. Si est causa directiva: ergo male dicitur præcedere solum duratione, non causalitate, at-

que adeo prædefinitio concomitans cooperationem nostram est chimæra, sicut si dicatur causa concomitans, cum de ratione causæ, ut causa est, sit antecedentia. Si non est causa directiva operationis, et productionis: ergo erit solum executiva seu executio ipsa: ergo vel supponit directionem sui, ita quod ipsa executio sit directa ab aliqua præcedenti directione, et illa erit providentia prædefiniens, et causalitate antecedens; vel non supponit directionem, sed est mera executio sine ordinatione præcedente, et talis executio erit cæco, et ignorantimodo facta, quia nec est directio, nec supponit directionem a qua ordinetur. Et præterea quia quod non est causa directiva, sed executiva, et cooperans ideoque vocatur concomitans, non est causa per modum providentiæ, et ordinationis: providentia enim directiva est operis faciendi: præparat enim, præordinat, prævidet quid, et quomodo aliquid rationabiliter faciendum sit et debite; et sic est causa quod executio sit rationalis, et ordinata: ergo non potest esse prædefinitio, si est concomitans. Patet consequentia, quia prædefinitio providentia est: est enim præparatio, et præordinatio definiens, seu decernens quid faciendum sit, causando efficaciter id quod definit et determinat, non vero id supponens: ergo id quod non se habet ut providentia, non se habet ut prædefinitio.

XXXIV. Quod si dicatur illam prædefinitionem concomitantem posse dici prædefinitionem respectu cooperationis causæ secundæ ejus concomitans est, licet sit executio, et non præordinatio respectu operationis ipsius Dei: per hanc enim constituitur ipsa volitio, et providentia divina, contra est, quia si est executio divinæ volitionis liberæ, et hæc est coope-

rans, et concomitans nostram cooperationem: ergo non causat illam, nec facit ut sit, sed cum illa jam existente et aliunde causata, simul influit: ergo non prædefinit, nec prædeterminat, quia si solum est simul cum illa influens, et non est simul, nisi cum cooperatione determinata, si quidem est influens, et non influit nisi determinata: non ergo definit, nec determinat eandem, sed præsupponit in se jam determinatam. Implicatio ergo est ponere prædefinitionem concomitantem, quia si definit determinat, et si concomitanter influit, supponit determinatam, et definitam in omni statu, in quo est concomitans, et supponens alteram sibi cooperantem simul influere, et sic esse determinatam, sive consideretur in statu conditionato, sive absoluto: si concomitans et non definit, nec determinat.

XXXV. Loquendo autem de prædefinitione antecedente, et per modum intentionis, quam ponit iste auctor, manifeste etiam evacuat rationem prædefinitionis absolutæ, et efficacis. Primo, quia dicit hanc non esse necessariam, sed æque bene posse effectum eundem fieri per illam prædefinitionem concomitantem, quam hucusque impugnavimus. Hoc constat esse falsum, quia sine dubio aliquam Dei prædefinitionem requiri ad executionem rerum ad extra manifestum est, nec ipse Arrubal negat, cum Scriptura id aperte testetur in locis supra adductis, cum hæc prædefinitio non sit aliud quam divina præparatio de his quæ facienda sunt, sicut dicit Apostolus ad Ephes. II: *Creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*, et omnis præparatio antecedit et causat rem præparatam, sed illa prædefinitio et præparatio concomitans, nulla est, ut ostendimus: ergo si aliqua præ-